



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Floremundi Raemundi V. Cl. Olim Consiliarii Regis
Galliarvm Ex Calviniano Catholici Synopsis Omnium hujus
temporis Controversiarum tam inter Lutheranos,
Calvinistas quam alios plurimos. Sive Historia ...**

Raemond, Florimond de

Coloniae Agrippinae, 1655

I. Initium turbarum in Germania.

urn:nbn:de:hbz:466:1-10880

ergo neget, Lutherum tamquam novum giganteæ terræ filium caput suum non cælo, sed medio inferno intulisse, ad terrestres deos oppugnandos.

VI. Atqui ò Evangelici, Mundi, si diis placet, Restauratores, non hanc semitam ingressi, non his rationibus olim usi sunt Apostoli, qui populos omnes ad unius Jesu Christi cognitionem adduxerunt. Non ita olim fecit Bonifacius, quâdo prima Christianæ religionis semina in Germania sparfit. (a) Non ita primi illi Christiani, fortissimi illi Jesu Christi athletæ, loquuti sunt. Colimus, inquit Terullianus, (b) Imperatorem, ut hominem à Deo secundum, & quidquid est à Deo consequentum, solo Deo minorem. Sic enim omnibus maior est, àum solo vero Deo minor est. Legati illi Jesu Christi non ignem, ferrum & sanguinem spirabant, uti Lutherus (c) Principes, divinum illud oraculum S. Paulus Apostolus, ait à Deo missos, à Deo constitutos, ac Dei proceres esse. In epistola ad Romanos capite XIII. eisdem verbis illud nō semel repetit. Non esse potestatem nisi à Deo. Sed quæ admodum idē nihil auditoribus suis magis inculcavit quam erga magistratus obedientiam; sic e contra Lutherus plusquam Sæctorea voce contra eisdem conclamavit, ac naturalem illam Principibus obediendi ac debitum honorem præstandi inclinationem modis omnibus è subditorum animis evellere conatus est; ut scilicet populi rebus novis semper studentis, favorem ac studia sibi conciliaret. Id ergo unum reliquum erat, ut inverso, vel in chlamydem potius mutato cucullo monachus nudum gladium manu tenens, velut alter Zisca aut Zuinglius, exercitum antecederet, & pugne signū daret. Multorum sermonibus celebratur vox illa Zuinglij dicentis, incendium hoc religionis sanguine extinguendum esse: sed non minus Lutheri illud apophthegma memorabile est, qui, ut Erasimus in epistola ad Belgas fratres scribit, dicere solebat. Evangelij naturam esse turbas & seditiones excitare nempe Lutherani. Idem in libello contra Ducem Brunsvicensem, inquit, A risu se abstinere non posse, populos ita inter se commissos ac digladiantes inuentem: Quam diversa est vox illa Salvatoris, dicentis (d) Beati pacifici, quoniam Filij Dei vocabuntur. Idem apud Evangelistam Marcum (e) discipulos alloquens ait: Pacem habete inter vos. Et apud S. Joannem: Pacem meam relinquo vobis. (f) Quid Lutherus? Ego inquit, scio doctrinam meam bellum paritura. Papa illa mancipia omni armorum genere oppugnanda sunt. Et certe Salus hic sive Martis sacerdos, quod scripserat ac dixerat, VVormatiæ præsentem

Imperatore verum esse demonstravit, in hæc verba erumpens: Non veni ut pacem adferrem, sed gladium. Quæ verba ei, quæ Christianitatis spolia cum Luthero postea divisit, tantopere placuerunt, ut eis pro symbolo usus sit. Cuius socius & assecla ad æternam rei memoriam scribere non erubuit. (g) Evangelij sui sementem in cruento illo ad Druydarum urbem prælio primum iactam fuisse. Sed quæso, domini Evangelici in quo Evangelio reperistis, gladium à Salvatore ordinatum esse, ut eo Ecclesia plantetur ac propagetur? Nulla profecto alia ille instrumenta ædificandæ Ecclesiæ Apostolis dedit, nulla illi alia successoribus reliquerunt: quam doctrinam & disciplinam: quæ eisdem eisdem monuit, ut persecutiones æquo animo perferrent, atque animas suas in patientia possiderent. Sic moriendo, non occidendo, plusquam trecentis annis primi Christiani Ecclesiam propagaverunt: hacque una ratione populos vicebant, reges domuerunt, & tyrannos captivos abduxerunt.

DE BELLO RUSTICORUM LUTHERANI Evangelij defendendi causa excitato: deque miserabili eorundem strage.

CAPUT II.

ARGUMENTUM.

- I. Initium turbarum uti hæresios in Germania.
- II. Rusticani duce Lutherano quodam, tumultuantur.
- III. Idem sub prætextu Evangelij.
- IV. Lutherus ignem à se accensum extinguere conatur.
- V. Nobilitas Rusticanos cœdit.
- VI. Prodigia quadam, ac miseria inde orta.

I. Vs quando in spacium sese effudere quadrigæ.
Fertur equis aurigæ, nec audit currus habenas:

Sic ubi vulgi animis semel licentia permiffa fuerit, illicet quocumque quis impulerit, præcipientes feruntur, a videque quamcunque res novandi omniaque miscendi arripiunt occasionem. Germani locustarum Apocalypticarum veneno iam ebrij, olim & suâna hæctenus observâtia Principes & Magnates
Vita eius in Moguntia Serarj, Surio, Sidoribus Brovverj &c. Epistola eiusdem. b V. Conradi Andrea senn Vetteri Lutherum Pacificum. c Matth. 5. d Marc. 9. f lo. an. 14 g Bez. ad Angliæ Reginam.

& Magistratus suos prosequi soliti lecto illo furiosi Lutheri libello quem Captiuitatis Babylonice Prodromum inscripserat, statim cristas erigere, obedientiamque detrectare cœperunt. In eo quippe nouus hic Propheta (cuius doctrinæ fundamenta iam ante in libro de seculari potestate iocerat) docebat: *inter Christianos nullam esse, ut ita dicam, superioritatem, nullam potestatem, nullum magistratum.* Huius & illa sunt: *Nullam spem esse salutis, quam diu secundum leges humanas seu ciuiles respublica administratur. Rogandum esse Deum, ne subditi magistratibus obediant, &c.* Huius tubæ sonitu exciti subditi contra Principes, clientes contra patronos, ciues contra magistratus, serui contra dominos per omnem fere Germaniam armate se cœperunt; ac dulcissima pax in lugubre bellum subito fuit commutata: incendiumque hoc inde à Thuringiæ & Saxonie finibus, Lutheri latibus, progressum, ad Alpes vsque penetravit, ac magnam deinde Germania partem, vt Sleidanus fateatur, *peruasisit*, adeo vt An. 1525: in sola Bambergensi & Heibipolensi diœcesibus Franconiæ, CXXXIII. nominatæ Arces Nobilium & Illustrium euerisæ in Catalogo meo recensentur. Taceo de alijs & de innumerabilibus cœnobijs. Et quidem diuina prouidentia Nobilitas Franconiæ sensit prophetæ sui falsi factum primitias, quæ eius audaciam oblati armis antea confirmauerat. Nihil tum audiebatur præter coniurationes, seditiones, direptiones urbium, provinciarum devastationes, illadem denique omnium malorum & miseriarum, recteque de illo tempore Virgilianum illud vsurpari poterat: *Pallor ubique, paucor, & plurima mortis imago.*

Harum vero turbatum complices, quandoquidem de Euangelica Libertate ageretur, sibi persuaserant eam esse causæ suæ bonitatem ac iustitiam, vt nihil omnino illicitum putarent quod ad eam defendendam pertineret. Nec mora. Vix pauci obedientiæ iugum abiecerant, quum ecce omnis fere multitudo passim sese commouit, ac contra Principes ac Magistratus consurrexit. Equidem malo exemplo nulla perniciosior est doctrina, præsertim apud vulgus in deserta, quod quæ ab alijs fieri & tolerari videt, quantumcumque mala sint & turpia, licita tamen atque etiam honesta putat: eoque fit, vt alter alterum ad idem audendum animet atque accendat. Est enim nefarium eiusmodi consiliorum ea natura, vt qui semel assenserint, peiora ac flagitiosiora indices aggre-

diantur, nec prius conquiescant quam ad extremam malitiæ & crudelitatis lineam sit peruertum. Reformationem quidem seditiosi hi rustici verbo flagitabant, interim vero nihil nisi turbas & horribilem confusionem machinabantur. Sed nõ magis ab hac hominũ colluione boni aliquid, quam a terra ex eluione aquarum concreta vlla fertilitas aut frugum copia expectari possit.

II. Eorum qui primi arma contra magistratus arripuerunt, dux fuit Lutheranus quidam, Christophorus Schaplerus nomine: qui breui è simplici illa, & quæ velut mobile lignum alienis neruis ducitur, plebe magnum satis confecit exercitum, non armis tantum, verum machinis etiam ac tormentis instructum. Prodeunt in aciem infelices, ponunt castra, obuia quæque, monasteria, arces, domos diripiunt atque incendunt, cædibusque grassantur. Et quemadmodum in rebus malis nullus modus aut mensura est, sic pessima hæc fax hominum tanto furore ac rabie vsa est, vt in sola Franconia vltra trecenta monasteria & arces incenderit ac deuastarit, vt Claudius Conradus Vimpina (a) scribit. Multi sane Comites, Barones ac Nobiles inauditam horum rabiem & crudelitatem effugere non potuerunt: inter quos Comites quidam Maximiliani Imp. gener, crudelissimo supplicij genere, interemptus, & protentis hastis ab ipsis confossus fuit; coniuge ad ipsorum pedes proiecta, & marito multis cum lachrymis vitam deprecante, summa cum iniuria reiecta. Nec mirum hoc in iis hominibus, qui nobilitati, virtuti, honestati & religioni bellum induxerant, & in quibus illorum quidquam esset, suspendio omnes dignos existimabant.

III. His vero omnibus, vt dicere cœperamus, causa obducebatur, quasi & Euangelij tueri doctrinam, & seruitutem à se profigare vellent. In literis ad Principes, inquit, *Nos congregati sumus, vt Iesu Christi nomen libere proficemur, eiusque diuinam iustitiam conseruemus.* Eandem illi vocem, idem vorum, quod auribus nostris toties postea insonuit, ingeminabant, nempe: *Viuat Euangelium.* Imo Lutherum scripsitendo & edendo libellos imitati sunt, & primo omnium XII. articulos edidere, ad imitationem Symboli Apostolorum, qui erant postulata talia quæ nisi sibi concederentur ostendebant media sibi non defutura

a *Claud. Conr. Vimpina & Erasmo Alb. cont. Zuingl.*